



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

Qvæstio XXV. Vtrum scientia, & Fides sint inuicem impossibiles?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

intellectum tali motiuo, vti potest, ac debet adherere, qui habet talem præcognitionem; quo differ hæc obscuritas ab obscuritate opinionis. Differt igitur ab ea, quia est minor obscuritas, & maior claritas in eodem genere, vt notatum est supra. Potest autem minor obscuritas, adeoque maior claritas circa fundamentum firmissimè assentiendi excludere formidinem, quam nequit excludere obscuritas maior, & minor claritas circa idem.



QVÆSTIO XXV.

Vtrum scientia, & Fides sint inuicem impossibiles?



IDENTVR non esse impossibiles. 1. Quia plures ex his, qui accedunt ad Deum, cognoscunt euidenter ipsum existere; & nihilominus credunt idipsum, iuxta illud Pauli ad Hebr. 11. 7. *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Eodem pertinet, quod dicitur in eodem capite v. 3. *Fide intellegimus aptata esse sæcula verbo Dei.* Quia Deum esse auctorem vniuersi, quod est aptata esse sæcula verbo Dei, euidenter cognoscitur ratione naturali. Idem similiter confirmat conuersio Philosophi naturaliter bene eruditi, qui propterea ratione naturali euidenter præcognoscit plura ex his, quæ docetur, & tenet per fidem post conuersionem, quæ vel per scientiam impediatur à conuersione ad fidem, vel per fidem amittat scientiam præexistentem. Ergo componitur fides cum scientia in eodem, circa idem, & secundum idem.

2. Non repugnat assensus eiusdem obiecti, sicut nec amor ex duplici motiuo, siue adæquato, siue inadæquato, & motiuum Fidei non habet specialem impossibilitatem cum motiuo scientiæ. Quia obscuritas, quæ sola posset existimari repugnans claritati motiui scientiæ, non habet rationem motiui, cum sit pura negatio. Ergo non solum idem intellectus, sed etiam idem actus potest assentiri eidem veritati ex motiuo scientiæ, & Fidei simultaneè.

3. Euidencia credibilitatis mysteriorum nostræ Fidei, & obligatio ea credendi, sunt de fide, & tamen credi non possunt absque præuia eiusdem credibilitatis, & obligationis euidencia existenti pro priori natura ad ipsam fidem, vt dictum est supra. Ergo simul creduntur, & sciuntur.

4. Theologi solent easdem veritates comprobare testimoniis diuinis, & rationibus euidentibus, quod perperam fieret si vtrisque motiuis non posset simul moueri intellectus: Neque enim possent mouere intellectum demonstrationes Theologicæ absque iactura Fidei; cum è conuerso communiter reputentur, & meritò, viles ad confirmandam Fidem. Vtiles autem esse non possunt rationes, quæ considerari, & mouere non possunt pro illo ipso instanti, pro quo exercetur actus Fidei; sed ante, vel post eius exercitium.

5. Euidencia physica de aliquo obiecto, est compossibilis cum Fide de eodem secundum idem, quod communiter probatur exemplo Thomæ Apostoli, videntis, & palantis Christum Dominum viuum, simulque credentis ipsum viuere; Imò credentis, quia videbat, vt constat ex testimonio Christi dicentis, *Quia vidisti me, Thoma, credidisti.* Probatur etiam, quia euidencia purè physica subest absolute falsitati. Ergo intellectus habens talem euidenciam potest adhuc querere maiorem certitudinem per actum Fidei diui-

na, atque per eundem vltimò quietari. Ergo non omnis euidencia est impossibilis cum Fide.

6. Visio beata Dei est compossibilis cum Fide secundum diuersas formalitates, quia visio creata Dei non est comprehensiuua ipsius, ac proinde ignorat Deum secundum aliquas formalitates. Ergo quoad illas potest simul haberi fides. Quælibet autem visio immediata Dei cognoscit clariùs Deum secundum omnia ipsius prædicata, quàm quælibet cognitio scientifica naturalis, possit cognoscere aliquod eiusdem prædicatum. Ergo à fortiori possunt componi scientia, & fides de Deo secundum idem ipsius prædicatum.

Art. 1. Resp. Habitum fidei, & habitum scientiæ, atque vtrumlibet eorum cum actu alterius componi posse in eodem intellectu circa idem secundum diuersas formalitates, communis, & vera suppositio potius quàm sententia Theologorum est. Nec dubitatur quin fides sit compossibilis cum euidencia circa terminos incomplexos, quia illos ab omnibus aliis euidenter discernit, saltem quoad quid nominis, nec non inadæquatè, quoad quid rei, & quia est. Controuersia igitur solum est de complexione affirmata, vel negata formaliter, & directè per fidem, eaque adæquatè lumpa, siue de actu fidei, quatenus affirmante, vel negante aliquid formaliter, & directè.

Art. 2. Negandum autem est vniuersaliter, actum fidei posse componi circa idem secundum idem cum visione, siue beata, siue rei creata; aut cum scientia siue primorum Principiorum, siue habita per veram qualemcumque demonstrationem. Negandum verò principaliter est, propter auctoritates, quæ in hanc partem sub propriis terminis magno pondere incumbunt. Apostolus enim in primis 1. ad Hebr. 1. fidem definit: *Argumentum non apparentium.* Nequeunt autem propriè, & simpliciter dici non apparentia, quæ per visionem, aut scientiam apparent, licet non appareant per ipsam fidem. Accedit Apostolum toto deinceps capite, exponere eam definitionem exemplo illorum, qui crediderunt, quæ nullatenus videbant; atque inter cæteros de Noè sic habet vers. 7. *Fide Noè, responso accepto in somnis de iis, quæ adhuc non videbantur, metuens arcam.* Accedit rursus D. Thomas dicens in commentario huius loci, definitionem istam Apostoli expressè esse contra Manichæos, dicentes non esse credendum, nisi vnde habetur ratio. *Contra quod dicit, ait D. Thomas, non apparentium.*

Art. 3. Imitatur Apostolum Augustinus tract. 40. in Euang. Ioan. longè ante finem, sic definiens. *Quid est fides, nisi credere, quod non vides?* Vnde infert immediatè. *Fides ergo est, quod non vides credere.* Et paulò post contraponit inuicem, *Credere, & videre*, tanquam impossibilia: *Veritas est, sed adhuc creditur, nondum videtur.* Eodem prorsus modo, ac de beatitudine dicitur. Adhuc speratur; nondum habetur. Subscribit Augustino Magister iisdem verbis, in 3. dist. 23. sub init. *Fides est virtus, ait, quæ creditur quæ non videtur, & iterum paulò post, Virtus est quæ, non visa creditur.* Manifestum verò est, apud Augustinum, & Magistrum, visa dici, etiam quæ sunt ex visis; idest, euidencia omnia.

Art. 4. De D. Thoma longum esset dicere quot locis, & modis exprimat istam sententiam. Sufficit eum videre in hac 2. 2. q. 1. ar. 4. & 5. & ar. 6. ad 2. Notanda præterea est forma definitionis, quæ exponit adductum Pauli testimonium lect. 1. in illud caput versus finem. *Fides est habitus mentis, quo inchoatur vita æterna in nobis, faciens intellectum adherere non apparentibus.* D. Bonau. in 3. dist. 24. art. 2. quæst. 1. & 3. non tam docet, vt veram, quàm supponit, vt indubitatam istam sententiam. Docet enim ex professo, fidem posse componi cum visione sensibili, & scientia in eodem

eodem de eodem, siue circa idem, quod sefellit non-nullos magnos auctores, referentes eum pro sententia contraria; quia non aduertunt alteram partem, quam S. Doctor subiungit, dicens: *Licet non secundum idem*. Negat verò de visione beata illud etiam primum, & reddit rationem discriminis; quia visio beata tollit omnem latentiam, & omne ænigma, quod non faciunt scientia; & visio sensibilis. Nec enim repugnat idem obiectum secundum aliquid patere per scientiam, & eiusmodi visionem, simulque latere secundum aliquid aliud, & secundum hoc, secundum quod latet, potest simul terminare fidem; sicut Deus, ut trinus illam terminat; tamen simul euidenter cognoscatur, ut vnus. Quod est ipsius S. Doctoris exemplum. Ex D. Bonauentura lecto cum attentione, intelligi poterit Magister eius Alex. Alesius, docens idem, sed non cum eadem distinctione, & claritate 3. par. q. 68. memb. 7. art. 3. Scotus clarè, & fuse docet idem, in eadem distinct. 24. quaest. vnic. §. *Ad questionem igitur*. Subscribunt Ricardus, Gabriel, Molina, & alij plures.

Art. 5. Quod caput est hic, videtur communis proculdubio sensus Sanctorum Patrum, tum in citatum locum Pauli; tum maximè ad illud Ioan. 20. *Quia vidisti me, Thoma, credidisti*. D. enim Gregor. August. & alij communiter, ut saluent fidem Thomæ, dicunt aliud eum vidisse, aliud credidisse, supponentes planè de eodem secundum idem prædicatum, fidem, & visionem simul esse non posse. Neque quidquam interest, quod de sola visione expressè loquuntur, occasione Euangelij illam exprimentis. Quia visionem excludunt à consortio fidei secundum eandem formalitatem obiecti, ut tueantur, fidem esse non apparentium, iuxta Paulum. Sub qua ratione patet æquè contineri exclusionem omnis euidentia; si quidem vera euidentia sit. Vnde Athanasius lib. de salutari Christi aduentu, versus fin. *Non fides, ait, de re euidenter concepta, fides dici poterit*. Quæ quidem auctoritates tales sunt, quoad claritatem suam, suorumque auctorum, ut deserenda; aut alienanda; à sensu proprio nequaquam sint, propter ratiunculas, & ponderationes vtcumque implicatas, ac primo aspectu difficiles, quales in obiectionibus propositæ sunt. Quod in præsentia materia, vel maximè est religiosè obseruandum. Quia natura, & proprietates fidei supernaturalis, sunt valde imperuie rationi naturali, ut apparet satis ex dictis, & apparebit manifestius ex quaest. seq. Quare necesse est, ut qui circa illam vult assequi veritatem, adhæreat constantius directioni Sanctorum, quod sponte ea manuducit.

Art. 6. Suffragantur præterea tot, tantisque testimoniis experientia, & ratio moralis. Experientia quidem, quia vnusquisque facile coniicit, se nullius auctoritate moueri posse, tamen maximè velit, ad assentiendum per fidem existentia; suæ, aut ad amplectendam veritatem, quam demonstratione mathematica conclusam perfectè possidet. Ratio verò moralis, quia nemo credit Deo nisi loquenti locutione interiori determinatè ad ipsum hic, & nunc directæ; cum homines sæpè loquantur vagè, & indiscriminatim, quibuscumque valentibus percipere vocem, aut scripturam eorum. Nequit autem Deus exercere locutionem directam hic, & nunc ad eum determinatè, qui illud ipsum formaliter actu videt, aut cognoscit euidenter, quod manifestat locutio. Quia nequit Deus ineptire loquendo, nec velle cultum auctoritatis suæ derisorium eiusdem. Ineptit verò, qui interposita sua auctoritate vult suadere, aut docere rem formaliter, quam audiens, aut videt, aut euidenter cognoscit; atque hic deridet potius illum, quam colat, si dicat, se submittere intellectum eximie eius auctoritati, in eadem re agnoscenda, ut vera, quæ nam-

R. P. Elparza Curs. Theol. Tom. I.

que ineptitudo, aut derisio potest esse manifestior, quàm dicere: Crede mihi seriò affirmanti, duo, & tria esse quinque, & respondere: Volo submittere intellectum auctoritati tuæ; atque ob eam æstimationem, quam de ea habeo, uti par est, credo id ita esse? Eadem porò ratio est plus, minus, de quavis veritate, vtcumque scita per veram euidentiam.

Art. 7. Probatur denique, quia licet non formidet actu, qui credit Deo, nec formidare possit in sensu composito eius fidei, assentitur tamen veritati ad modum formidantis: sicut cognoscimus Deum ad modum creaturarum, dum sumus viatores, tamen non æfirmemus eum esse creaturam. Sed nequit intellectus assentiri ad modum formidantis, veritati, quam formaliter videt, aut euidenter cognoscit. Ergo nequit eidem assentiri per fidem. Probatur maior, quia intellectus assentientis veritati per fidem, assentitur suo motu, quatenus apparenti obscure, nec tenetur terminis propriis spontè sua, sed alienis, ut captiuus, ut dicebatur supra ex D. Thom. & prætergreditur terminos claritatis, & apparentia obiecti firmitate adhesionis, sulci piens lucernam lucentem in calliginoso loco, ut prælatum est ex D. Petro, ac veluti tentans scipione solum, & clausis oculis iter agens, quæ omnia uti sunt propriissima fidei; ita sunt imitatio maximè expressa, ac germana formidantis. Probatur minor, quia rem aliquam euidenter cognoscens, non solum non formidat, quatenus euidenter cognoscit, sed habet præterea modum cognoscendi oppositum, modo cognoscendi proprio formidantis; quia cognoscit suum motuum euidenter, & intellectus conuictus terminis propriis, conuiescit tanquam in centro, in veritate apparenti clarè. Nec superat difficultatem aliquam assentiendo ob imperium voluntatis, quod renitentem cogat. Quinimò vi appetitus innati sponte fertur incumbens toto pondere in eam partem, cui adhæret; dissipat nimirum euidentia difficultates, quas ægrè superat fides; de cuius ratione ita est esse pugnam; sicut est de ratione euidentia; esse dominantem pacificè. Modi autem tendendi in obiectum, hoc modo inuicem oppositi, tam sunt impossibiles inuicem, quàm assensus, & dissensus, de eodem secundum idem.

Art. 8. Explicatur hoc magis, & confirmatur; quia repugnat, ut quis concipiat promissionem, quæ de futuro sub conditione, quam videt iam existentem absolutè. Nec enim quisquam poterit, tamen maximè conetur, elicere hunc actum. Volo Petro dare centum, si naus venerit, dum videt nauim iam venisse. Similiter repugnat ut quis concipiat assensum ænigmaticum, circa id, quod in propria specie intuitiva cognoscit. Quod constat ex Apostolo, opponente ænigmati, cognitionem facialem, atque inde deducenti euacuationem fidei accedente visione. Quæ impossibilitates sic volendi, & cognoscendi, non aliunde proueniunt, quàm ex modis cognoscendi, & volendi, cum res volita per promissionem absolutam, & conditionatam, siue sub conditione de futuro, siue de præsentia; atque res credita, & visa sunt eadem. Imò hoc videtur communi hominum consensu supponi tanquam per se notum. Si quis enim aliquid enuntiet ad modum formidantis, quem aliunde notum est id scire certissimè, protinus dicitur eum fingere, nec omnino loqui ex animo. Quod tamen fieri non posset, nisi supponeretur, ut certum, non posse illum simul habere in animo suo talem modum concipiendi eandem rem. Ratio est, quia nemo sibi fingere potest, nec proinde agere interius, atque si non esset suorum sibi conscius secretorum. Eadem igitur de causa nequit accommodari intellectus, ut vtatur auctoritate alterius, quæ est medium obscurum, ad

Aaa 3 alle

assequendam veritatem, quam aliunde habet, ac pos-
sident apparentem sibi clarè. Modus enim cognoscendi
per auctoritatem obscuram, est modus cognoscendi
proprius indigentis, nec sufficiens sibi, & patientis
molestiam sic cognoscendi, præcisè ne patiatur maius
aliud ignorantia totalis, aut erroris malum, sicut qui
proicit merces ne submergatur, non proiecturus te-
moto eo periculo.

Art. 1. Ad 1. Apostolos non loquitur de qualicum-
que accessu ad Deum etiam imperfectissimo per affe-
ctum, quo illi uniatur, præcisè ut auctori, & causa suæ
physicæ, cuiusmodi accessus, neque Dæmoni deest;
sed loquitur de accessu ad Deum perfectiori, & super-
naturali; nempe ut ad iustificatorem, & glorificato-
rem, siue ut auctorem supernaturalem; loquitur enim
de accessu iustificante. Vnde cum subiicitur, *quod*
oportet credere, quia est, intelligendum est de fide, qua
credatur existens, ut iustificator, & glorificator, & au-
ctor supernaturalis. Sub ea namque ratione oportet
credere, quod Deus est, sub qua acceditur ad eum, id
est, talis credendus est per fidem, qualis quaeritur per
accessum. Ita D. Thomas in hunc locum, & in om-
nibus iis, in quibus agit de impossibilitate fidei
cum scientia, siue quod obiectum fidei debeat esse
non scitum.

Art. 2. Nec apparet qua ratione Suar. Valent. Arru-
bal, & alij Auctores contrariæ sententiæ, dicere po-
tuerint, aut duram, aut alienam istam interpretatio-
nem: cum & ipsi similiter interpretari teneantur, *Tò*
Deum in prima parte periodi, Accedentem ad Deum,
ut liquet ex notatione præmissa eidem interpretatio-
ni: atque Apostolus tum in *1^o* capite, tum in tota
ea Epistola agat de Deo, non ut auctore naturali, aut
præcendendo à naturali, aut supernaturali; sed deter-
minatè, ut auctore gratiæ, prout ea in Christo, & ex
Christo est, suppositis, & assumptis ad redarguen-
dum Hebræos, iis, quæ iam ipsi amplectebantur
iuxta vetus Testamentum, inter quæ vnum est acce-
ptio Dei, quæ à nobis exhibita est. Qua etiam de
causa, *Tò Remunerator*, accipiendum est de remunera-
tione Gratia, & Gloriæ. Cum Deum esse Remunera-
torem per alia præmia inferiora, sit non minus per-
uium rationi naturali.

Art. 3. Dici deinde potest non prædicari ab Apo-
stolo necessitatem fidei, qua credatur hæc categorica,
Deus est secundum se, & seorsim: sed qua credatur hæc
hypothetica: *Deus est, & inquirentibus se remunerator*
est, quæ coniunctio non scitur per rationem natura-
lem, sensu quo etiam ab aduersariis accipitur. Atque
his rationibus similiter exponitur, quod docti, & in-
docti dicimus. *Credo in Deum Patrem omnipotentem,*
&c. Dicendum enim est, vel id accipi sensu copula-
tino, quo, ut patet, est imperuium rationi naturali; vel
Tò Deum, correspondere conceptui Deitatis proprio
fidelium, qui sub eo nomine complectuntur pri-
mum principium, & vltimum finem supernatura-
lem, maximè cum eriguntur ad faciendam professio-
nem Fidei.

Art. 4. Handquaquam fauet magis aduersariis, quod
dicitur: *Aptata sæcula esse Verbo Dei*: Quia Aposto-
lus non hoc præcisè docet dari causam primam, cu-
ius voluntate cætera extiterint. Multò namque plus
est sæcula aptata esse Verbo Dei. Nimirum esse iuste
correspondentia, per optimam suam dispositionem,
Sapientiæ, & Providentiæ Dei, & finibus intentis
per illas, ut exponit ibi D. Thomas, subdens prio-
rem illam expositionem *satis ruditer datam esse*. Et
quidem cum Icopus Apostoli immediatè antè præfixus,
sit prædicare fidem, quatenus est sperandarum
substantia rerum, & argumentum non apparentium.
Atque adeò commendare vñ illuminatam, & ele-
natam intellectus humani, quæ est propria Fidei,

non debuit, nec nisi absurdè potuit eò diuertere oeu-
los, eaque doctrinæ capita, & eatenus præcisè propo-
nere, quò, & in quæ, & quatenus absque subsidio Fi-
dei pertingit ratio naturalis.

Art. 5. Quod ad Philosophum attinet conuersum
ad fidem, dicendum est cum Bonauentura vbi supra,
eum ex instructione Catholici assentiri existentia
Dei vnius, ut coniunctæ cum Trinitate Personarum,
& Providentiæ, ut intentiæ Beatitudinis supernatu-
ralis, & mediorum ad illam, & sic de elevatione cæ-
rorum Principiorum rationis naturalis, nempe om-
nia percipit per fidem, estque necessè, ut percipiat
modo multò sublimiori ex parte obiecti, quam perci-
peret per rationem naturalem.

Art. 6. Deinde debet credere idem Philosophus eos
etiam articulos nostræ fidei, quos cognoscit euidenter
esse reuelatos à Deo; quod ipsum nulla euidencia na-
turali cognoscere potest. Debet præterea habere ani-
mum paratum ad credendos eisdem articulos scorsim,
& secundum se, tametsi ratione naturali non al-
sequeretur illos; quo nihil illi deperit meriti conue-
nientis fidei hominis ignorantis. Fieri demum potest,
imò videtur oppositum fieri non posse, nempe ut
cum Philosophus conuertitur ad fidem, seque com-
mittit instructioni, & illustrationi diuinæ, auocet in-
terim animum ab attentione, & memoria suarum
demonstrationum; atque ideò credat omnes, & sin-
gulos articulos, non secus, ac Idiotæ. Quod itidem
contingit Doctoribus Catholicis; quoties se appli-
cant exercendæ fidei, & meditandis mysteriis reuelatis,
ut reuelatis. Ad summum enim retinent memo-
riam consulam, qua coniungunt eadem mysteria esse
valde rationabilia, aut quid simile, rapiente animum
motiui præstantiore, & alliciente vñiformitate atten-
tionis, ut nihil in præsentī dicatur de simultanea atten-
tione ad ea, quæ desperatè se habent.

Ad 2. Licet obscuritas, & defectus apparentiæ non
habeat rationem neque partialem motiui; habet ta-
men rationem dispositionis necessariæ ex parte cre-
dentis, & essentialiter præsuppositæ ab actu fidei,
ut docet D. Thomas, maximè illo art. 6. quæst. 1.
ad 2. Qua ratione sunt impossibilia, gaudium, &
desiderium de eodem secundum idem. Eandem in-
rem considerandæ sunt duæ confirmationes postremo
superadditæ pro vera sententia. Quod tangitur in
obiectione de identitate scientiæ, & fidei, est impos-
sibile speciali ratione, nempe quia scientia, & fides
non sunt perfectibiles inuicem, neque communicabi-
les quantum vnaquæque ex ipsis respectu sui, ut pa-
tet à fortiori ex dictis supra. Quæ autem eo modo
comparantur inter se, non sunt inuicem identificabi-
lia; cum sit de conceptu identitatis tanta communica-
tio mutua identificatorum, quanta est vniuersibet eo-
rum secum: Sicut est de conceptu vñitorum, ac vñi-
bilibus physica communicatio, & communicabilitas
aliqua penes effectus formales.

Ad 3. Est quidem de Fide, quod dentur argumenta
quantum est de se sufficientia ad gignendam euiden-
tiam credibilitatis, & quod teneamur animum ap-
plicare ad consideranda ea argumenta, & ad creden-
dum illis sufficienter cognitis. Nihilominus non est
de fide adesse mihi hic, & nunc, euidenciam credibi-
litis conuenientis, vel reuelationibus directis, vel
istis aliis reflexis, ac per consequens, non est de fide,
me hic & nunc proximè vrgeri obligatione reflexæ
credendi præceptum obligans ad credendum myste-
ria. Versantur ergo circa diuersa formaliter, euidencia,
& reuelatio, atque actus fidei quo creditur credibili-
tas mysteriorum fidei, nec est vlla hac in re difficul-
tas, si attentè, & cautè discernantur cognitiones di-
rectæ & reflexæ, vniuersales, & particulares circa
tempus, & personas, quæ semper inducunt diuer-
sitate

scitatem formalem inter obiectum fidei, & obiectum scientiæ de credibilitate.

Ad 4. Demonstrationibus Theologicis accommo-
dandum est, quod quæst. 23. dictum fuit itidem ad 4.
circa rationes probabiles. Nempe est eadem de vtri-
que ratio; in confirmationem doctrinæ ibi datæ vi-
deri potest D. Bonau. vbi supra qu. 2.

Art. 1. Ad 5. Evidentia physica potest componi
cum fide circa idem secundum idem, quando simul
occurrunt circumstantiæ, & motiva valentia secun-
dum se inferre enunciationes inuicem oppositas per
consequentias physicæ necessarias; vel etiam alte-
ram necessariam, & alteram probabilem; quorum
primum accidit Thomæ Apostolo memori mortis
Christi, & videnti, ac palpani exteriori eiuſdem vi-
uentis apparentiam; Posterius verò accidere potuit
ei qui alterum horum vidisset, alterum audiisset ab
eodem veracissimo Apostolo. Ratio composibilita-
tis inter evidentiam, aut quasi evidentiam physicam
& fidem, in casu posito, est quia alterutrum ex illis moti-
uis impedit certitudinem physicam consequentiæ in-
feribilis ex altero secundum se; unde similitas vtrius-
que reddit intellectum accipitem, nisi subueniat fides,
certificans de altera parte contradictionis circa con-
sequens sumpta determinatè. Ex quo apparet in euen-
tu proposito, non dari propriè; sed tantum secundum
quid, evidentiam physicam, quæ componatur cum
fide.

Art. 2. Caterùm secluso eiusmodi obiectorum,
& circumſtantiarum sibi inuicem aduersantium occur-
su mutuo, nequit componi fides cum cognitione phy-
sicè evidenti de eodem, secundum idem. Quia neces-
sitas physica determinata alicuius euentus includit in
se necessitatem metaphysicam vagam, vt detur, vel
idem ille euentus, vel alius impossibilis cum ipſo,
& compensatiuus eiuſdem, vt minimùm aequaliter,
vt apparet ex quæst. 6. de Gratia. Quapropter nullo
eiuſmodi compensationis indicio existente in intelle-
ctu, perinde illum reddit securum, & alienum à mo-
do cognoscendi proprio formidantis, seu ad instar
formidantis evidentia physica, atque metaphysica; cui
veritati videtur attestari experientia intellectus peni-
tùs securi, & tranquilli, cum tali cognitione phy-
sicè evidenti; ac proinde hæc evidentia est perin-
de impossibilis cum fide, ac evidentia me-
taphysica.

Art. 3. Nec obstat maiorem esse simpliciter certitu-
dinem fidei, vt dictum est qu. 22. Quia non est ma-
ior quoad nos, vt ibidem notatum est ex D. Thoma,
n. c. habet intellectus claritatem, & evidentiam eius
excessus, qui est proprius fidei; sicut habet eius excessus,
qui est proprius cognitionis, siue physicè, siue
metaphysicè evidenti; inclinatio autem, & determi-
natio voluntatis, atque intellectus est secundum id, quod
vtrique innoteſcit. Vnde probabile est, nec de poten-
tia absoluta componi inuicem posse eiusmodi cog-
nitiones. Quia est de essentia operationum vitalium, sal-
tem intentionalium, vt sint ab intrinseco physicè, de
quo alias; ac proinde vt sint passo conferente vim,
ac minimè renitente. Dictum autem est, intellectum,
quantum est ex se, reniti assensui concipiendò ad
modum formidantis, dum habet evidentiam de eodem
secundum idem.

Art. 1. Ad 6. Visio Dei, & actus fidei, neque
etiam, quoad prædicata, & obiecta materialia diuer-
sa, componi inuicem possunt. Quia vt docet, & pro-
bat D. Thomas in hac 2.2. qu. 1. a. 4. & 1.2. qu. 60. art. 3.
& 5. fides essentialiter est cognitio ænigmatica circa
Deum, vt dictum est supra, & quidem sub ænigma-
te non permittente evidentiam locutionis diuinæ,
vt diuinæ, seu quòd Deus sit auctor locutionis,
vt semel atque iterum dictum est supra quæst. 19.

Repugnat autem ænigmaticus iste cognoscendi mo-
dus, videnti immediatè Deum, & eius ad se locutio-
nem aliquam, vt sunt in se. Quia cum sit infinitè di-
uersa locutio Dei, à qualibet alia locutione non Dei;
repugnat vt non discernat evidenter locutionem pro-
priam Dei ab ea, quæ non est propria ipsius, is, qui
locutionem aliquam Dei cognoscit, ac videt, vt est in
se ipsa. Vnde si fides posset componi cum visione Dei
circa diuersa, eo ipſo posset cum eadem componi cir-
ca idem formaliter prædicatum, nempe circa aucto-
rem, vt auctor locutionis est.

Art. 2. Deinde cognoscens per fidem habet mo-
dum cognoscendi sollicitum cum motu rationis in
contrarium, inexistente sibi actualiter, vel saltem apti-
tudinaliter, circa existentiam diuinæ reuelationis, vt
docet D. Thomas quæst. 14. de verit. quæ est de fi-
de, ar. 1. corp. sub fin. & ibid. qu. 12. quæ est de
Prophetia, art. 1. corp. ad med. dicit sic. *Quamdiu
enim non sit resolutio cognitorum in sua principia, cognitio
non firmatur in vnum; sed apprehendit ea, quæ cogno-
scit secundum probabilitatem quandam.* Et ex eodem
principio art. 2. corp. fin. asserit, demonstrabilia non
esse prophetabilia simpliciter, sed per accidens, respec-
tu eorum tantum, qui demonstrationes ignorant.
Motus autem ipſe sollicitus non cadit in beatum, qui
videt Deum, atque eius locutionem, vt sunt in se
ipsis. Quia de causa Beatus de his, quæ non videt in
Deo, non potest instrui, nisi per cognitionem certam
certitudine evidentiæ rei: Nam quæ est certa sola
certitudine evidentiæ credibilitatis, & obsequiosa ap-
pretiatione sui motui, non valentibus omnino quie-
tare intellectum, & satiare eius appetitum, est prior-
sus aliena ab eo statu. Aliæ autem cognitiones minùs
perfectæ, quàm visio Dei, sunt nihilominus com-
possibiles cum eadem, dummodo sint evidentes: Quia
sunt imperfectæ imperfectione tenente se præcisè
ex parte obiecti, aut motui, vt visio creaturæ in se,
aut in alia creatura; non verò imperfectione tenente
se ex parte subiecti, qualis est imperfectio fidei, vt
dictum est, & exponitur dilucidè à D. Thoma q. illa
67. ar. 3. Nullus igitur est locus consequentiæ obie-
ctionis.



QVÆSTIO XXVI.

*Utrum Fides sit essentialiter super-
naturalis?*



IDEŒTVR non esse. 1. Quia assensus fidei de-
pendet ab apprehensionibus credendorum,
& hæc apprehensiones dependent similiter à
sensationibus; ita vt apprehensiones ferantur in illud
idem obiectum, quod priùs per sensationes perceptum
fuit; & similiter de iudicio respectu apprehensionum.
Nec enim triplex iste ordo operationum discordare
potest, saltem quoad obiectum formale motuum, vi
& ratione cuius cætera cognoscuntur. Sensus autem
nihil supernaturale percipere potest, cum neque spi-
rituale aliquid possit percipere. Ergo nec fides vllum
habet obiectum supernaturale, vel certè motuum
eius supernaturale non est, ac proinde nec ipsa est
supernaturalis.

2. Argumenta Christianæ fidei sunt naturaliter
cognoscibilia, vt patet ex eorum expositione, & pon-
deratione, quæ præmissa fuit quæst. 18. Atque cog-
nitio his argumentis, necessariò consequitur obligatio,
atque possibilitas credendi, vt dictum est sæpè, præter-
tim quæst. 21. Nihil autem naturale inducere pos-
test obligationem, & possibilitatem operis alicuius